





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**MOTIBVS CRITICIS**  
**CAVTE DIIVDICANDIS**

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

*PRO GRADV DOCTORIS*

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. XVI. SEPTEMBRIS, A. S. R. 1806.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

**SEBASTIAN. EBERHARD. WENCKEBACH**

FRISO ORIENTALIS.

---

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.



DISSEKTATIO INAVGDVALIS MEDICA  
DE  
MOTIBVS CRITICIS  
CAVTE DIVIDENDIS

AVCTORIS  
CONSENSV GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E  
VIRI VERTI FIDELISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREA ELIA BUCHNERO  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS  
POTENTISSIMO PRÆSALIS REGIAE CONSILII INTIMIS  
MEDICAE ET CHIRURGICAE NATURALIS PROCIUS PÆRI QUIDAM  
INTIMIS AC TIBI NATURÆ CVM OSCOR PRÆSIDI  
ET COMITIS PALATII CAESAREO

PRO GRADU DOCTORIS  
SYMBOLIS IN MEDICINA HONORARIIS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENS  
A D O C T O R  
IN ALIA REGIA FRIDERICIANA  
AVCTOR  
SEBASTIAN ERKHARD WENCKEBACH  
FRISO ORIENTALIS

HABEAT IN GODTVRG CIVITATE HENDLHANS



VIRIS  
PRAENOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS  
OPTIME DE SE MERITIS

DN. IOANNI GEORGIO  
WENCKEBACH

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI CELEBERRIMO  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS APVD EMBDENSES  
PRAETORI SPECTATISSIMO,

PATRELI SVO HONORATISSIMO,

NEC NON  
DOMINO  
CHRISTIANO EBERHARDO  
WENCKEBACH

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI CELEBERRIMO  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS CONSILIARIO  
GRAVISSIMO,

PATRI SVO  
OMNI FILIALI CVLTV PROSEVENDO,

HASCE  
ACADEMICAS LABORVM SVORVM  
PRIMITIAS

GRATISSIMA MENTE

PRO

TOT IN SE COLLATIS BENEFICIIS

ET

PATERNO ABVND E SEMPER DEMONSTRATO


AMORE

CVM VOTO PROSPERITATIS LAETISSIMAE

IN SEROS VSQVE ANNOS DV RATVRAE

D. D. D.

A V C T O R.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**MOTIBVS CRITICIS**  
CAVTE DIIVDICANDIS.

PROOEMIUM.



Tam affabre atque sapienter humanum corpus in utero materno structum est, ut singulari mechanismo se ipsum conseruet, & quae in se suscepit noxia, ac destructionem atque ruina minitantiā, propria vi, quantum fieri potest, expellat. Praecipuum artificii huius singularis fundamentum, est *elasticitas*, *irritabilitas* & *sensibilitas*, quibus efficitur,

tur, ut, aucta solidorum contractione, fluidorum quoque progressivus motus augeatur, maiores inde & copiosiores fiant secretiones, & hoc modo materia peccans eliminetur. Optime hoc animadvertimus in *febris*. Adest in iis ut plurimum subtilis quaedam acrimonia, interitum atque ruinam corpori minitans. Irritat haec tunicas minimorum vasorum, spasmum efficit periphericum, pellit fluida versus interiora. Augetur hoc modo motus cordis & arteriarum, hinc & pendens inde sanguinis circulus. Hoc aucto perspiratio fit maior, madet cutis, relaxantur fibrae, ac per ampliatos cutis poros avolat cum sero rodens materia, sub sudore paroxysmum claudente. Eliminator hoc modo malum per se ipsum. Facile inde perspicitur, motus hos, quibus natura, hoc est, complexus virium in corpore, corpus suum tuetur & ab interitu vindicat, esse quam maxime salutare, & si incongruo regimine aut medicatione non turbentur, morbum inde sponte solvi. His itaque motibus praesentibus, & excretionibus rite succedentibus, iudicari



cari potest, exitum morbi fore aegro salutarem. Factum proinde est, ut *iudicationes* sive *crises* dictae sint hae mutationes. Cum itaque de morbi eventu iudicari ex his motibus possit, facile patet, quam maxime attendendum esse Medico, ut eos rite possit diiudicare & ab aliis distinguere. Et cum nonnunquam varii in corpore excitentur motus, similes quidem criticis, sed revera non salutem, sed noxam & damnum corpori inferentes, maximopere eo annitendum est, ut spurii hi atque anomali motus cognoscantur, ex causis suis deriventur ac demonstrantur, ne praesagium de morbi eventu feratur falsum. Non inutilem itaque in me suscepisse mihi videor laborem, dum singulari cura *cautam motuum criticorum diiudicationem* hic exponere, & loco inauguralis Speciminis profectuum meorum exhibere constitui. Non solum enim quoad prognosin summe necessaria est criticorum motuum diiudicatio, sed & quoad therapiam & curationem morbi. Augeri enim nonnunquam debent critici hi motus & languens natura excitari; fieri autem

011042

autem hoc nequit, si motus ipsi non diu-  
dicentur & cognoscantur.

Ut autem ordine rem explicemus, *primo* agendum nobis erit de motibus criticis veris in genere, eorumque possibilitas demonstranda. *Secundo* exponenda nobis erit ratio eorum motuum, qui externam quandam habent cum criticis motibus analogiam, causas vero longe alias atque diversas. *Tertio* tandem exempla exhibenda sunt pathologica, quibus tradita theoria confirmabitur & illustrabitur. Faxit supremum, quod cuncta regit, Numen, ut conamina haec qualiacunque nostra cedant feliciter.



SECTIO



SECTIO I.

DE

MOTIBVS CRITICIS VERIS

IN GENERE.

§. I.



**M**otus in morbis occurrentes duplicis generis sunt; vel enim promovent causæ morbificæ expulsionem, vel non. Si prius, denuo vel arte & medicamentis producantur, vel ab ipso solo corporis mechanismo dependent. Si hoc fit, motus denuo vel particulares sunt, vel universales; si universales, vocantur *crises*.

§. II.

*Critici* itaque *motus* sunt motus universales, sponte orti ad expellendam materiam morbificam.

SCHOL. Exempla abunde suppeditat Pathologia. Adest in exanthematica febre miasma copiosum, vasa irritans, hinc motus solidorum & fluidorum augens. Fit inde maior fluidi resolutio, sequitur

B

tur

rum sudor, malignam materiam expellens. Sudor hic erit criticus. Vel etiam plethora, vasa distendens, ea & cor ipsum irritat, unde oritur, accedente aliqua causa procatactica, sanguinis vehementior commotio, seu synochus. Ipsa haec sanguinis organica commotio vasa tandem perumpit, sequitur haemorrhagia plethoram tollens, & morbum adeo minuens. Erit haec critica haemorrhagia.

MOTIBVS SINGULIS VERIS §. III.

Haec ut rectius intelligantur, sequentia nobis sunt attendenda: 1) *Causae morborum materiales ita potissimum sunt comparatae, ut per se tolli & e corpore eliminari nequeant, nisi prius mutantur & alterentur, & motus singulari modo determinentur.* Exemplis res fiet clarior. Ponamus adesse saburram, ventriculum distendentem & aggravantem, in febribus intermittentibus. Saburra haec nimia tenacitate sua adhaeret internae ventriculi superficiei, & sic apta non est ad excretionem. Tum spasmos quidem excitat, sed nimios, ita ut constringatur utrumque ventriculi orificium, & dimittere contenta nequeat. Vides hic vomitum salutarem impediri, hinc excretionem fieri non posse causae morbi materialis. Vel fac adesse in corpore lympham spissam nimis & acrem. Transire haec nequit per minima vascula & spiracula cutis, neque per alia organa secretoria. Hinc non excernitur & eliminatur e corpore. Accedit, quod distendendo & irritando minima vascula eorundem producat spasmus,

spasmodum, qui minuendo diametrum vasorum de-  
nuo secretiones & excretiones turbat & minuit, ma-  
teriam peccantem retinet, & impedit quo minus  
salutariter morbus terminetur.

§. IV.

Plures hic dantur casus, quorum accurata dis-  
quisitio & explicatio vel ideo necessaria est, quo  
certius constat, non diiudicari posse motus criticos,  
nisi causae perspectae sint, quibus vel adiuvari, vel  
impediri crisis possit. Adefse autem potest vitium  
excretionem materiae morbificae impediens vel in  
ipsa materia, vel in vasis, vel in utroque. Conside-  
remus a) vitium in ipsa materia occurrens. Haec  
potest esse *α*) nimia eiusdem spissitudo atque tenaci-  
tas, quae duplici modo impedire potest excretio-  
nem: vel adhaesione nimia inter se, vel ad latera va-  
sorum. Sic si spissus sanguis causa morbi sit, spissi-  
tudo I) nimiam efficit partium *cohaesionem* inter se.  
Iam si in vasa lateralia ingredi fluidum debeat, ut ex-  
cernatur, cohaesio partium se contingentium tolli  
debet (per princ. phytic.). Ingressus itaque talis,  
hinc & salutaris excretio impiedetur. 2) Nimiam  
efficit fluidorum *resistentiam*. Determinata nempe  
vis est cordis ac arteriarum ad movendum sangui-  
nem & reliqua subtiliora fluida, lympham & serum.  
Superare haec vis potest sub sano & naturali statu  
*resistentiam* massae sanguineae, imo hac quoque  
quadantenus aucta superest tamen adhuc vis aliqua  
cordis & vasorum sufficiens ad eam superandam.

B 2

Sed

Sed si nimis magna fiat resistentia, non sufficet amplius vis haec ad motum efficiendum talem, qui ad secretiones & excretiones rite perficiendas requiritur. Si vero *nimia* adfit ad *latera vasorum cohaesio*, eodem modo duplex inde oritur effectus: 1) nempe ingressus in vasa lateralia inde impeditur. Scimus adhaesionem ad latera vasorum secretiones & excretiones in statu naturali facilitare. Cum nempe fluidum vi cordis & arteriarum in recta linea propellitur, adhaesione vero ad latera vasorum retrahitur, compositus inde oritur motus per diagonalem parallelogrammaticam, cuius latera sunt vires fluidum propellentes, & directio inde fit in canalem secretorium (per princ. mechan.). Sed si nimia sit fluidi cum vasis cohaesio, directio fluidi ita mutabitur, ut ingredi vas laterale vel plane nequeat, vel notabilis tamen oriatur difficultas. Manifestum exemplum videmus in fonticulis salientibus, similibusque machinis, ubi si nimis angustum fuerit foramen, per quod aqua erumpit, & adhaesio pro massae erumpentis ratione nimis augeatur, difficulter admodum aqua profuit, eiusque saltus & altitudo maxime minuitur. Sed 2) ex hac quoque nimia ad latera adhaesione augetur *resistentia* sanguinis, potissimum in minimis vasculis. Notum enim est ex Geometria, quod superficies cylindrorum in ratione ad soliditatem augeantur, quo minor est cylindri diameter. Superficie vero aucta augentur quoque puncta contactus & ipsa cohaesio (per princ. phys.).

§. V.

Verum & β) *acrimonia* fluidi excretionem morbificae materiae impedire potest. Excretio enim fieri nequit, nisi per vasa minima lateralia. Acrimonia vero fluidi, irritando minima vascula, eorundem efficit spasmum. Coarctantur inde viae, per quas excretio fieri debebat, unde excretio ipsa impeditur.

§. VI.

Tandem γ) nimia fluidi copia sive *plethora* impedire potest salutarem excretionem. Excretio enim fieri debet per vasa lateralia. Requiritur autem ut haec aperta sint, & non vel ab externa quadam vi comprimantur, vel alio quocunque modo coarctentur. Tum si exuberans plethora vasa maiora expandat, minora vasa, quae sub acuto plerumque angulo e lateribus egrēdiuntur, comprimantur necesse est. Hinc ingressus peccantis materiae eiusdemque excretio impeditur. Pater inde ratio, quare in acutis exanthematicis morbis venaesectio saepe tam salutaris sit, licet humores inde a peripheria revocentur, & minus salutaris videri possēt. Sic qui variolis decumbunt & plethorici simul sunt, ingentes saepe a plethora commota, & latitante in sanguine materia variolosa, patiuntur anxietates, eruptio vel plane non, vel tarde admodum succedit, donec imminuta, per prudenter administratam venaesectionem, sanguinis copia, omnia symptomata mitigentur, eruptio iuste succedat, & morbus sic feliciter decurrat.

## §. VII.

b) Quod vitium in *vasis* attinet, illud potissimum *motum* fluidorum determinat. Motus crisi impediens est vel nimis acceleratus, vel nimis tardus. Necessarius scilicet est ad secretionem quamcunque in corpore animali peragendam motus, qui fecernendas particulas ad vasa lateralialia aut organa secretoria deducat. Necessaria quoque est vis fluidum impellens & in vasa lateralialia intrudens. Iam si nimis tarde succedat motus, vis vero ex celeritate cum massa multiplicata aestimetur, celeritate imminuta, vis quoque imminuetur. Minuetur autem celeritas  $\alpha$ ) *imminuta vi cordis*, quod efficitur influxu liquidi nervei in cordis nervos imminuto. Cor nempe musculus est; musculus autem ad actionem suam requirit influxum liquidi nervei, quo si careat, debilitatur; hinc & cor influxu liquidi nervei imminuto debilitari debet. Fieri hoc potest in morbis, tum destructa a subtili miasmate, aut putrescente sanguine, massa fluidi nervei, tum sanguinis quantitate, per haemorrhagias tam spontaneas, quam artificiales, itemque per inediaam atque similia imminuta.  $\beta$ ) Sed minui quoque potest celeritas *aucta resistantia*. Fit hoc 1) si *plethora* adsit, adeoque sanguinis resistantia augeatur; si maior adsit quantitatis fluidorum ad robur vasorum ratio, quam sub statu naturali; 2) si spissitudo sanguinis adsit; 3) si vasa minima minus pervia & obstructa sunt ob lentum humorem haec vasa infestantem. Vasa enim a vi & actione fluidorum distenduntur. Hinc requi-



requiritur, ut cedant vi agentis fluidi. Iam si auctum fuerit vasorum robur a spasma, maior fluidi requiritur actio ad resistantiam superandam. Quo maior vero est actio fluidi, eo minus remanet virium, hinc celeritas fluidi se moventis imminuitur.

§. VIII.

Exemplis haec omnia sunt illustranda, ut eo facilius & rectius cognoscantur. Fac, materiam adesse subtilem acrem, alcalicam, ab impedita transpiratione & cumulatis in sanguine fordibus ortam. Haec sanguinem resolvendo & vasa stimulando calorem producit praeternaturalem & febrem putridam. Motus hi febriles tendunt ad excretionem materiae criticam. Verum iidem hi motus sanguinem magis resolvendo, maiorem liberant copiam salium, adeoque putredinem augent, qua aucta destruitur lympa optima, a qua secretio fluidi nervei fieri debet. Minuitur ergo ad vitam & sanitatem necessaria haec secretio. Hinc influxus liquidi nervei in cor parcius evadit, adeoque cor debilitatur. Hoc vero debilitato crisis fieri nequit, hinc crisis a causa morbifica impeditur. Vel si haereat in lympa aut sero materia, quae in peripheria corporis sub exanthematum forma eliminari deberet. Haec si nimium irriterit vascula minima, spasmus in illis produceret, vasa constringentem, fluida repellentem, & sic eruptionem impediens.

§. IX.

2) *Mutatio causae morbificae, quae criticam excretionem.*

*cretionem praecedere debet, vel fit per artem, vel per naturam.* Sic si excretio materiae exanthematicae fieri nequeat, ob spasmos peripheriam infestantes, antispasmodica cum temperantibus & diluentibus sunt adhibenda, ut & leniora diapnoica. Vel si tenax & viscida faburra, ventriculum aggravans, adsit, ea incidentibus est resolvenda, & leni emetico vel laxante exturbanda. Verum & naturae ope saepe materia minus apta ad excretionem praeparatur. Sic in priori casu spasmus tandem sponte solvitur necessaria eum insequente debilitate. Vel materia spissa, vascula minima cutis obsidens, aucto calore, indeque auctiori reddita sanguinis circulatione, resolvitur, & cum sudore protruditur. Mucus ventriculum obsidens irritando efficit humorum versus ventriculum adfluxum, diluitur inde spissa materia, fit fluidior, & ad excretionem aptior.

## §. X.

3) *Causa, quae criticos producit motus, alios quoque excitare potest motus, qui non modo non sunt salubres, sed corpori potius quam maxime noxii.* Ita nempe constructum est corpus nostrum, ut motus in una parte orti non solum ob nervorum consensum aliis partibus communicentur, sed fluida quoque commota illuc cedant, ubi minima est resistentia; hinc effectum saepe edunt longe alium, quam qui desiderabatur. Fac, hominem, cui pulmones admodum debiles sunt, & qui iam saepius haemoptysi laboravit, aegrotare ex vitio lymphae acrio-

acrioris. Neceſſe tunc eſt, ut lympha acris, five materia peccans, excernatur. Excretio haec fieri nequit, niſi univerſali ſanguinis motu aucto. Imperatur hoc per ipſam cauſam morbificam. Haec enim irritando vaſa motus auget, dum, reſolvendo ſanguinem, calorem reddit auctiorem, a quo ſanguinis motus celerior producitur. Verum ipſe hic ſanguinis auctior motus pulmonibus eſt infeſtus. Hi enim ſi ſunt relaxati, cedunt adfluenti ſanguini; ſit inde congeſtio eius verſus pulmones, ſit haemoptiſis, morbum primarium augens, turbans, & mortem ſaepe inducens. Vel alium ponamus hominem, cuius ſanguis ad alcalinam indolem & reſolutionem putridam admodum proclivis eſt. Fac, inflammari partem quandam corporis. Inflammatio diſcuti nequit, niſi aucto motu ſolidorum & fluidorum. Doloris in inflammata parte ſenſus, obſtrectio canalium ipſa, augebunt motus. Celeriori vero reddito ſanguinis motu maior fiet humorum reſolutio, liberabitur miasma, & formabit exanthe-mata.

§. XI.

Ex iis, quae in antecedentibus dicta fuere, facile patet, varios dari motus in morbis admodum noxios, licet ab eadem cauſa producantur, quae criſin alias efficere ſolet. Hinc *prima cautio* ſit circa motuum criticorum diiudicationem: *Non omnis motus criſin inferens eſt ſalutaris, ſi corpus ita ſit comparatum, ut motus ex una parte criſin producens ex altera parte poſſit eſſe noxius.* Hoc prognofeos

C

cauſſa

caussa quam maxime tenendum est, ne Medicus, salutare motus deprehendens, nimis cito triumphum canat, & nullum amplius adesse periculum existimet.

## §. XII.

4) *Critici motus licet sint universales, excretionem tamen solent producere particularem.* Sic animadvertimus, pro circumstantiarum ratione modo per sudorem, modo per urinam, modo per diarrhoeam, modo per sputum, modo per haemorrhagias, salutariter excerni peccantem materiam. Neque mirum hoc cuidam videri debet. Causa enim in sanguine aut sero haerens, plerumque universalis est, hinc universales quoque ad suam excretionem requirit motus. Excretio autem universalis esse nequit, cum magnitudo, gravitas specifica, adhaesio, variet, & non omnibus organis secretoriis respondeat.

## SECTIO II.

DE

HIS MOTIBVS, QVI EXTERNAM QVANDAM HABENT CVM CRITICIS MOTIBVS ANALOGIAM, CAVSAS VERO ALIAS.



## §. XIII.

erum & alii dantur motus in corpore nostro, criticorum motuum speciem saepe referentes, neque tamen salutare, quorum iam possibilitas demonstran-

stranda. Crises fieri solent per sudorem, urinam, diarrhoeam, sputum aut haemorrhagias spontaneas (§. antec.). Cum vero excretiones hae variae variis ex causis oriri possint, ipsa excretio vero an critica sit cognosci ut talis nequeat, nisi cognita causa: patet, non omnem excretionem, quae critica esse videtur, re vera esse crisin. Sed haec uberius sunt explicanda.

§. XIV.

Ponamus I) crisin in morbo quodam contingere per *haemorrhagias*, si nempe plethora morbi fuerit causa. Requiritur ad hanc crisin valida vis cordis & arteriarum, debilitatio quorundam vasorum sanguiferorum in extremitatibus corporis, & debita sanguinis fluiditas. Fiet inde, ut appulsus versus has partes sanguis vasa distenta perumpat, effluat, haemorrhagiam efficiat. Sed in simili morbo potest adesse cordis maxima debilitas, sanguinis autem summa resolutio, ob quam vasa lateralia ingreditur & haemorrhagiam efficit, quae hic salutaris esse nequit, cum cor iam per se debile arguat defectum fluidi nervei, qui ab excretionem sanguinis adhuc magis augetur. Habes inde *secundam* cautionem: *Haemorrhagia, quae critica esse videtur, non semper est critica, nisi cordis vis adhuc sit valida & sanguinis iusta adsit consistentia.*

§. XV.

Vis autem cordis valida, ut & sanguinis iusta consistentia, quomodo cognoscatur, iam nobis erit

determinandum. Cordis vim ex pulsu cognosci, res est per se manifesta. Pulsus debilis vim adesse denotat exiguam, fortis magnam. Si itaque haemorrhagiam, quae critica esse debet, antecedit & subsequatur debilis admodum cordis pulsus, & sanguis excretus nimium floridus evadat ac resolutus, tunc haemorrhagia non erit critica. Intense enim rubicundus sanguinis color licet ab imperitis pro bono sanitatis signo habeatur, ut plurimum tamen nimiam sanguinis indicat resolutionem.

## §. XVI.

Fac, per *sudorem* contingere debuisse crisin, tunc criticus talis sudor evenire debet per auctum cordis & vasorum robur, unde auctis motibus miasma in sero aut lymphâ laticans propellitur ad corporis peripheriam, ibique per ultimos arteriolarum fines excernitur. Sed eadem haec excretio alio quoque modo fieri potest, licet cordis & arteriarum vis imminuta fuerit. Scimus, fluida corporis nostri illuc deferri ex legibus mechanico-hydraulicis, ubi minima est resistentia. Iam si universa corporis peripheria debilitate relaxetur, fluida sponte, sublato aequilibrio, ruent versus peripheriam. Si porro relaxati sint sphincteres minimorum vasorum, dimittunt sponte contentum fluidum, adeoque sudor subsequetur absque crisi. Porro si tota massa feri, lymphæ, olei & pinguedinis vel a subtili quadam acrimonia, vel ab interno calore resolvatur, fundatur & nimis inde evadat fluida, intra-

bit

bit aucta fluiditate in minima vascula, adeoque in cutis etiam vasa excretoria, per quae transiens sudorem efficit, illumque eo minus criticum, quo magis vires inde franguntur & debilitantur. Optimi enim lymphatici humores, ad nutritionem corporis & virium reparationem alias necessarii, hic simul eliminantur. Sequitur inde *tertia cautio*, circa criticos sudores: *Sudores crisin aemulantes non semper sunt critici, si a nimia debilitate oriuntur, vel eam tamen inferunt.*

§. XVII.

Vel si 3) crisis quaedam expectari potuisset per *diarrhoeam*, requireretur robur quoddam sufficiens intestinorum, & copiosior secretio feri & mucii, lubrica reddens intestina, una cum actione acrium excrementorum intestina irritantium, ut aucto motu intestinorum peristaltico exturbarentur collectae in iisdem impuritates. Verum eadem quoque deiectio fieri debet, si nimis debilitata fuerint intestina. Notum est, intestinorum internam superficiem abundare cryptis mucosis & vasis excernentibus. Haec vasa si debito gaudeant robore, resistent adfluente fluido, hinc nimium versus intestina adfluxum impediunt. Coërcebitur etiam inde secretum iam & in cryptis & vasis adseruatim fluidum, ne nimio in intestina effluxu eadem nimis reddat lubrica. Iam si debilitas adsit in intestinis, non solum adfluxus humorum versus eadem fiet nimius, humoribus illuc abeuntibus, ubi minima adest resistentia, sed insimul quoque id, quod in

cryptis & vasis adseruabatur, contineri amplius non poterit, quin potius relaxatis sphincteribus effluet. Si porro sphincter ani relaxetur, effluere debent diluta stercola, hinc diarrhoea fiet, licet non critica.

§. XVIII.

Verum & diarrhoea contingere potest a nimia humorum resolutione. Ad diarrhoeam nempe requiritur, ut plus in intestinis fecernatur mucii & serosi illius humoris, intestina sub naturali statu lubricantis, quam ad ordinariam fecum consistentiam requiritur. Secretio autem augeri potest vel relaxatis vasis, & copiosius congestis fluidis, unde auctior fit humorum per eadem transitus, vel fluidis resolutis. Resolutis itaque quacunq; de causa humoribus, simulque versus intestina congestis, fiet ibi auctior secretio & hinc diarrhoea.

§. XIX.

Contingere potest porro, ut diarrhoea fiat a congestione feri ab aliis se- & excretionibus impeditis. Omnia nempe corporis nostri vasa inter se sunt connexa, ita ut ex uno in alterum transitus pateat. Notum autem est, insignem continuo feri copiam in extrema cute a sanguine fecerni & sub nomine Sanctorianae perspirationis e corpore eliminari. Haec secretio si ob frigus, spasmus periphericum, similesque rationes fuerit turbata, vel urinae inde augetur secretio, vel conversi ad intestina humores diarrhoeam efficiunt. Iam cum in  
variis




variis morbis perspiratio legitima omne punctum absolvat, utique diarrhoea, a perspiratione impedita orta, utilis esse nequit. Habes inde *quartam* cautionem: *Non omnis diarrhoea, quae critica esse videtur, critica est, si orta fuerit a relaxatione & debilitate intestinorum, vel a resolutione nimia fluidorum, vel denique ab aliis se- & excretionibus impeditis.*

### SECTIO III.

#### EXEMPLA SISTIT PATHOLOGICA.

##### §. XX.

 Sed haec omnia exemplis nunc sunt illustranda, ut pateat, non vanas esse speculationes, aut mere tantum possibilia illa, quae de motibus dicta fuere, quibus quaedam cum criticis motibus est similitudo. Experientia testatur quotidiana, quod in quamplurimis febribus inflammatoriis, nonnullis etiam exanthematicis, uti in variolis, purpura, similibus, critica quaedam & salutaris contingere solet haemorrhagia. Quod *inflammatorias febres* attinet, ad discutendam & resolvendam inflammatoriam stasin gravio-rem semper opus est ut M. S. minuatur, ne orgasmus & impetus nimius noceat & inflammationem augeat. Solent nempe in tali morbo rubicundi sanguinis globuli errore loci deferri in vasa minima serosa, vel lymphatica, & maxima vi in illa intrudi

trudi. Ibi haerentes extendunt vasa, ruborem ac tumorem efficiunt, & tensis vasorum nervis dolorem & ardoris sensum concitant. Iam si nimia adfit sanguinis & humorum copia, uti plerumque in similibus subiectis esse solet, tunc plethora haec, organice commota, non solum globulos in minoribus vasis haerentes altius iisdem infigit, & vasa extendendo eorundem elasticitatem ita minuit, ut ea se contrahere nullo modo queant, neque etiam stagnantes globulos propellere. Tum organica talis commotio calorem in toto corpore nimis auget, serum in tenacem massam cogit, quod ex membrana mucosa, sanguinem sub Venae sectione emissum regente, patet, adeoque impedit sanguinem, quo minus in stagnantes globulos agere eosque in maiora venosa vasa protrudere, & sic inflammationem solvere possit. Necesse itaque est, si haec omnia praecaveri debeant, ut plethora minuatur, sive hoc per artem fiat sub Venae sectione, sive ab ipsa natura per haemorrhagias narium, uteri, venarum haemorrhoidalium, similesque vias.

### §. XXI.

In omni itaque morbo inflammatorio, si debitum adhuc adfit vasorum robur, & iusta eorundem in fluida actio, haemorrhagia critica rite succedens salutare dabit signum. Sed accidere nonnunquam solet, ut vel in sanguine latitans miasma exanthematicum sanguinem resolvat similemque producat haemorrhagiam; vel continuo motu organico  
ipsi

ipsi humores acriores fiunt, liberatur oleosum acre sal, sanguinem resolvens & miasma formans exanthematicum. Vel nimius usus resolventium, camphoratorum, similibumque, fluiditatem sanguinis ita auxit, ut ad putredinem usque soluta sanguinis massa, febrem efficiat putridam. Haec omnia funestum designant & praefagiunt eventum. Sive enim praesertim alba purpura, sive petechialis putrida febris accedat inflammatoriae feбри, actum est de aegro. Vires enim ab antecedenti morbo fractae tunc plane prosternuntur, inflammatio in sphacelum abit, & morte tandem terminatur. In omnibus hisce casibus adesse potest a nimia resolutione producta haemorrhagia, sed nimium sane funesta.

§. XXII.

Idem in nonnullis exanthematicis febribus contingere debere manifestum est. Requiritur enim ad eruptionem exanthematum, ut minima entis vascula serosa patula sint, quo serum & lympham acris illuc deferri, & sub exanthematum forma eliminari ibi possit. Si vero plethora adfit, tunc sanguifera vasa a nimio sanguine distenduntur, hinc vasa serosa & lymphatica comprimuntur, sicque exanthematum eruptio vel plane impeditur, vel admodum tarde saltem & difficulter succedit. Succurrit his aegris benigna nonnunquam natura, si artificiosa sanguinis neglecta fuerit imminutio, excitata narium vel alia quadam convenienti haemorrhagia, quam exanthematum eruptio excipit,

max

D

&

& morbus feliciter solvitur. Hinc salutare sunt illae in variolis, morbillis, purpura quoque alba, haemorrhagiae. Verum in omnibus hisce morbis alio quoque modo succedere posse haemorrhagias, a nimia saepe resolutione, ob copiam malignae materiae, dictum est §. XIV. Imo incipiens iam sanguinis putredo & facta inde humorum omnium resolutio idem efficit. Periculi idcirco plenae imo funestae esse possunt in variolis, morbillis, purpura alba & petechiis, haemorrhagiae. Illustrabo rem exemplo, quod in hac civitate ante biennium animadvertere licuit. Virgo viginti circiter annorum, sanguinea, plethorica, ob frigus corpori liberalius admissum & diaeteticos aliquos errores aegrotare incipit. Die quarto aut quinto erumpit purpura alba, sed tarde admodum & difficulter. Sexto die menses fluere incipiunt. Salutare signum unus Medicorum existimat, nunc plethoram certo imminutam iri & eruptionem facilius successuram asserens. Alter negabat salutare esse signum, sed potius maxime funestum. Neque eventus praesagium hoc fefellit. Nam post aliquot dies accedunt deliria, aestus in internis, convulsiones, mors. Quis ergo non videt, a miasmate purpureo resolutum sanguinem per uteri & vaginae vascula fluxisse, hinc copiam denotasse insignem huius miasmatis? Quaerent forte nonnulli, quare eruptio exanthematum adeo tarde successerit, licet copia adfuerit materiae, & sanguis quoque satis superque fluidus? Responsio facilis est: Ipsa nimia exan-

exanthematicae materiae copia, irritando vasa cutanea, spasmus produxit periphericum, qui, repellendo humores, impedire necessario debuit eruptionem.

§. XXIII.

In omni fere febre, sive exanthematica ea fuerit, sive inflammatoria, sive a solo sero impuriori orta, omnis salus posita esse solet in conservatio-  
ne perspirationis. Cum enim miasma febrile vel in sero, vel in lymphâ latitare soleat, optime per poros cutis eliminatur e corpore. Imo in ipsâ inflammatione spasmos a dolore ortos imminutos esse, hinc ipsam inflammationem vel solutam esse plane, vel magna tamen ex parte imminutam, docet cutis relaxatio & mador. Therapiae quoque regulae omnium practitorum communi fere consensu docent, augendam esse in inflammatoriis morbis diapnoën. Eligit hanc quoque viam ipsâ natura, & excitato largissimo saepe sudore critico exanthematicos & inflammatorios morbos solvit. Notum mihi est memorabile exemplum puellae, quae, cum variolis laboraret, & vix duae vel tres in corpore variolae apparerent, foetidum & simul largissimum sudorem per biduum experta est, quo finito convaluit, absque ulteriori aliqua variolarum eruptione. Expectare itaque potest Medicus felicem morbillorum, variolarum & purpurae, critico tali sudore, iusto tempore erumpente, decursum. Verum tanta saepe adest maligni miasmatis copia, ut universa fere massa humorum dissolvatur. Et cum

slav

D 2

lym-

lymphae, a qua secernendum est fluidum nerveum, idem contingat, hinc secretio haec salutaris & ad vitam summe necessaria minuitur, simulque debilitas summa infertur. Nunc autem oritur sudor, si solidae partes relaxantur (§. XIV.). Accidere ergo potest, ut largiori sudore in exanthematicis his febribus corpus diffluat, absque crisi, adeoque morbus a sudoribus similibus non solum non minuatur, sed potius augeatur. Eadem debilitas & sanguinis resolutio inflammationi supervenire potest, si, a calore febris, latitans iam in sanguine miasma magis evolvatur, ut agat in sanguinem eumque resolvat, hinc similis contingat sudor crisis aemulans.

#### §. XXIV.

Morbi ventriculi & intestinorum, imo nonnumquam capitis morbi vertiginosi & apoplectici, si ex vitio ventriculi originem duxerint, salutariter terminantur diarrhoea. Idem contingere solet in febribus intermittentibus, imo nonnumquam in febribus malignis ptechizantibus, ut & haud raro in inflammatoriis in suppurationem tandem trans-euntibus, ubi materia purulenta, per vasa resorbentia ad massam humorum delata, ad intestina defertur & sic e corpore eliminatur. Ipsa nempe materia acris, in febribus intermittentibus primas vias obsidens, ipsa bilis, in intestina tenuia effusa, mora diuturniori acrior reddita, stimulat hos canales, ad contractionem incitat, diarrhoeam efficit; vel si nimis tenax intestina cum ventriculo obsidet,

vasa

vasa obrurat resorbentia. Cum autem excernentes canaliculi, ob continuam vim, qua fluida ex ostiis suis protrudunt, non tam facile obstrui possint, & sic excretio continuo duret, parum vero resorbatur, hinc accumulatur in intestinis fluida, diarrhoeam efficiunt serosam salutare cum effectu; a copia enim fluidi, & aucto intestinorum motu peristaltico, solvitur tenax mucus & e corpore eliminatur. In perechizantibus malignis febribus si critice per diarrhoeam terminantur, adesse plerumque solet putrida massa in intestinis haerens, quae ad M. S. resorpta aut produxit morbum, aut eum saltem auxit. Haec stagnatione, si praecipue alvus, ut solet, clausa aut seignior saltem fuerit, acrior redita, diarrhoeam efficit, quam salutarem esse nemo non videt, quum causa morbi antecedens inde tollatur. Sic vertiginosi & apoplectici insultus nonnumquam dependent a ventriculo, tenaci muco obsesso, vel vermibus infestato, qui expansus, impedit motum sanguinis per membranas eiusdem, augeret sic directionem versus caput, unde tam vertiginosi motus, quam apoplexia originem ducunt. Diarrhoea superveniens liberat primas vias ab infesta hac materia, hinc capitis morbos hosce solvit. Verum in omnibus his casibus ex causis longe aliis & plane funestis evenire potest diarrhoea, uti iam generaliter demonstratum fuit §. XVIII. & XIX. Potest enim signum esse materiae acrioris tunc praesentis, id quod diiudicari potissimum potest ex dolorum vehementia, vel diarrhoea quoque,

NOB.

D 3

inde-

indefinenter continuans, indicium praebere potest sphaceli vel imminentis, vel praesentis, unde relaxatio sequitur intestinorum, & putridae materiae in iis accumulatio. Potest porro esse signum haecicae febris & colliquationis humorum; si nempe vel intermittens febris in lentam & haecicam transierit, vel inflammatio terminata fuerit in suppurationem, unde dein resorpta ulcerosa materia sanguinem resolvit & haecicam febrem producit. Cognoscitur hoc ex reliquis signis haecicae febris. Potest tandem in malignis petechizantibus a refrigeratione & impedita inde perspiratione fieri humorum versus intestina determinatio, hinc diarrhoea (§. XIX.), eo minus salutaris, quo certius est, omne in his febribus punctum versari circa perspirationis promotionem. Facile hoc ex evanescentibus maculis, praegressa refrigeratione corporis liberaliori, similibusque, cognoscitur.

## §. XXV.

Exponi haec possent uberius, & pluribus ex Pathologia peritis exemplis illustrari, respiciendo nempe ad crises per urinam, sputum, aliasque vias contingentes; temporis autem ratio quum uberio-rem talem non permittat declarationem, hinc pauca haec sufficiant, ex quibus patet, cautos nos esse debere & circumspectos in diiudicandis motibus criticis & formandis inde, quoad decursum & eventum morbi, praesagiis.

S. D. G.

NOBI.



NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

**S** *Ametfi criticarum in morbis vicissitudi-  
num trita satis & innumeris, ne dicam  
supervacaneis, commentationibus absolu-  
ta plerisque videri potest doctrina: ego  
tamen, haud levibus tumultuariisque permotus ra-  
tionibus, plurima adhuc superesse reor, quae ad ean-  
dem amplius illustrandam, perficiendam, confirman-  
danneque adferri & applicari possunt. Unde intelligere  
potes, NOBILISSIME DOMINE CANDI-  
DATE, quid habuerim caussae, cur TVVM, de  
MOTIBVS CRITICIS CAUTE DIIVDICANDIS,  
disputandi institutum maximopere laudarem proba-  
remque. Visus enim mihi es haud poenitendum hac  
in re operae factururus pretium: quod & diligentia, &  
insignis*

insignis discendi cupido, solidae scientiae eruditionis-  
que mater, TE per omne academicae vitae stadium  
talem ostendit esse futurum, qualem quemvis litte-  
rarum scientiarumque cultorem sperari decet oportetque. Quod enim meo ingenue adfirmare possum  
testimonio, meis praelectionibus medicis diligentissime TE vacasse; idem proficiendi studium & reliqui  
celeberrimi huius Academiae doctores, quorum insti-  
tutione usus es, in TE admirati sunt atque lauda-  
runt. Quam ob rem, quos propediem capeffes, ho-  
nores, ob Ordine nostro TIBI merito concessos, ex  
animo gratulor, omnia simul, quaecunq; TIBI con-  
tingent, felicissime eventura auguratus. Vale, nec  
amicam mei memoriam unquam depone. Dab.

Halae, d. XIII. Sept. MDCCLVI.



NOBI.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.  
D. IO. PET. EBERHARD,

MEDIC. PROF. PVBL. ORD.

ACAD. IMP. NAT. CVR. ET ELECTORALIS MOGVNT.  
SCIENT. VTIL. SODALIS.

**N**on possum TE, ex Academia hac discedentem, dimittere absque aliqua amoris erga TE mei significatione, praesertim cum iam edito Specimine eruditionis TVAE, semmis in Medicina honoribus sis ornandus. Ex quo TE novi, novi autem TE per tres annos & ultra, semper non vulgarem in TE animadvertere mihi licuit diligentiam. Habui TE in scholis meis physicis, mathematicis, physiologicis, & formulari medico assiduam & attentum auditorem. Eundem TE praesitisti in scholis reliquorum Illustrium Virorum, qui hanc Academiam ornant, & eorum potissimum qui gratiosum Medicorum Ordinem efficiunt. Vidit TE Berolinense anatomicum theatrum in disquirendis corporis humani arcanis exercitissimum, ita ut cum laude inde discesseris. Maximopere itaque laetor, dum iam video TE partem aliquam accipere praemiorum diligentiae TVAE, cum quos diu merevis honores Doctorales obtineas. Faxit supremum Numen, ut eo magis olim prosis patriae TVAE, quo certius hoc de TE augurantur boni omnes. Vale. Dab. in Reg. Frideric. d. XV. Sept. MDCCLVI.

E

PRAE.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO

FAVTO RI AC AMICO SVO  
HONORATISSIMO

S. P. D. MEDIC

IOANNES CAROLVS BOECKING,

TRARBACO-MOSELLANVS, M. C.

OPPONENS.

**E**ximia voluptate perfusus, grati diei replico me-  
moriam, quo consequendae TVAE amicitiae for-  
tuna mihi occasionem offerebat gratissimam.  
Quanta animi hilaritate quanta alacritate TVIS me ad-  
iunxerim amicis, verbis exprimere nequeo; operam ita-  
que potius navabo, ut magis magisque accepto TVO opta-  
toque me dignum reddam amore, praecipue cum abs TE  
in exigendis amicitiae officiis me longe victum, superatum-  
que consistear. Num igitur, sufficientibus benevolentiae  
TVAE satis superque convictus testimoniis, TVI memori-  
am aequo animo oblivione dimittere potero? nonne eo in-  
gratum proderem animum? me itaque nullum erga TE  
benevolentiae atque fidei pignus omisurum, omni adseve-  
ratione affirmo. Lactum instans TVAE promotionis tem-  
pus maximo gaudio animum meum complet; TIBI itaque  
de honoribus Doctoralibus, TE expectantibus, toto pectore  
gratulor: DEVS ter optimus maximus incolumem TE  
conservet, omnibus TVIS adsit conatibus, TIBIQUE peren-  
nem fortunam, sapientibus probisque destinatam, largiatur.

Cete-

Ceterum almae huic Fridericianae Academiae propediem  
valedicurus, Tuos quidem moerore adfectos relinques ami-  
cos; at, quis fortunae TIBI paratae, jussui Parentum TVO-  
RVM honoratissimorum, desiderio patriae TVAE carissimae,  
aegrotisque TE desiderantibus repugnare audebit? Abitu-  
riens itaque fortunata proficiscere, perpetua felicitate flo-  
re, tibi que favere perge. Scribeb. Halae ad d. XII. Sept.  
anno MDCCLVI.

**S**üßselige Göttin! o Freundschaft! Dein Feuer  
Besele die Tonkunst der schüchternen Leyer;  
Erhize die Muse und stäle den Muth.  
Mein schlagender Busen, das wallende Blut,  
Die Regung der Freude, ein sanftes Entzücken,  
Die sollen das Opfer der Zärtlichkeit schmücken.  
Dir lache, Freund! heute mein niedriges Lied  
Da Purpur und Ephen die Schläfe umzieht.  
Kein glänzender Ausdruck, nur Reigung und Liebe  
Beweisen die Leidenschaft zärtlicher Triebe,  
Sie zollen den Beyrauch der billigsten Pflicht:  
Wie? Rühren Dich diese Empfindungen nicht?  
Von Mißgunst entfernt, mit ruhiger Freude  
Erblickt Dich mein Auge im festlichen Kleide:  
Dein Ehren-Tag flößet den Eindruck der Lust  
In meine der Freundschaft geöffnete Brust.  
Erreiche und küsse die güldenen Gränzen  
Die Dir an den Ufern des Nord-Meeres glänzen;  
Das Vaterland wincket und fordert die Frucht  
Die Du in den Tempeln der Weisheit gesucht.

Gen

Sey zärtlichster Damon! die Hofnung der Kranken,  
Das Deiner Hand viele ihr Leben verdanken;  
Sey glücklich in Curen und troge dem Neid,  
Wenn Dich diese Ratter mit Gifte bespent.  
Das Ziel Deiner Tage; den ruhigen Schlummer  
Bergalle und störe kein schmerzlicher Kummer.  
Hier hast Du die Wünsche der Neigung und Pflicht;  
Bewillge mein Bitten: Vergiß mich auch nicht.

Mit diesem geringen Denkmahl der  
Freundschaft suchte sich, aus schul-  
diger Hochachtung und Ergeben-  
heit, das geneigte und schätzbare  
Andenken des Herrn Verfassers  
dieser Streitschrift zu versichern

Deffen  
ergebenster Freund und Diener,  
**Joh. Andreas Wilhelm Büchner,**  
d. A. G. B. Opponent.









Halle, Hist. 70-75, 1755-56

ULB Halle 3  
002 830 698  


Sh

Reha





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**MOTIBVS CRITICIS**  
**CAVTE DIIVDICANDIS**

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
**PRAESIDE**  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS  
AD D. XVI. SEPTEMBRIS, A. S. R. d<sup>o</sup> 1806.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**SEBASTIAN. EBERHARD. WENCKEBACH**  
FRISO ORIENTALIS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

